

ta, per se loquendo, non sunt in aliquo genere nisi per reductionem, sicut motus quantum ad suam substantiam reducitur ad illud genus in quo sunt termini motus, sicut imperfectum ad perfectum, quamvis ponatur in praedicamento passionis secundum quod importat ordinationem moventis ad motum, ut dicit Commentator (in 5 Physic., text. com. 4.). Unde et virtus haec quae est in sacramentis reducitur ad id genus in quo est virtus completa principalis agentis, quae est qualitas, vel in qua esset, si in genere esset: quia virtus increata non est in aliquo genere.

Ad secundum dicendum, quod instrumento datur virtus agendi instrumentaliter dupliciter. Uno modo quasi inchoative, quando instituitur in specie instrumenti; et ideo dicit Hugo, quod continet gratiam ex sanctificatione. Alio modo datur complete, quando actu movetur a principali agente, sicut quando carpentarius utitur serra; et similiter complete datur virtus sacramentis in ipso usu sacramentorum. Nec est inconveniens, si virtus quae motui proportionatur, datur rei statim vel post modicum destitutur (1).

Ad tertium dicendum, quod sicut virtus praedicta non potest poni in aliquo genere entis nisi per reductionem; ita nec constituitur in aliquo gradu boni, nisi per reductionem. Reducitur autem ad bona maxima, in quibus est gratia, quae quodammodo est complementum ipsius virtutis, quasi finis ejus.

Ad quartum dicendum, quod in re corporali non potest esse virtus spiritualis secundum esse completum; potest tamen ibi esse per modum intentionis, sicut in instrumentis motis ab artifice est virtus artis, et sermo audibilis existens causa disciplinae, ut dicitur in lib. de Sensu et Sensato (cap. 2.) continet intentiones animae quodammodo: (2) etiam in motu est virtus substantiae separatae moventis, secundum philosophos, et semen agit in virtute animae, ut dicitur in 1 de Generat. animalium (cap. 2.).

Ad quintum dicendum, quod sicut virtus absoluta non est complete in quolibet congregatorum ad unam actionem quam nullus per se perficere potest, sicut est de tractu navis, sed est in omnibus simul, in quantum sunt omnes loco unius agentis, et sic virtus in eis existens suam retinet unitatem; ita etiam est de instrumentis, quando unum non sufficit; et sic etiam est in aliis multis quae exiguntur ad sacramentum: quia in omnibus est illa virtus simul acceptis complete, in singulis autem incomplete.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod instrumentum praedicto modo virtutem non accipit nisi secundum quod principali agenti continuatur, ut virtus ejus quodammodo in instrumentum transfundatur. Principale autem et per se agens ad justificationem est Deus sicut causa efficiens, et passio Christi sicut meritoria. Huic autem causae continuatur sacramentum per fidem Ecclesiae, quae et instrumentum refert ad principalem causam, et signum ad signatum; et ideo efficacia instrumentorum, sive sacramentorum, vel virtus, est ex tribus: scilicet ex institutione divina sicut ex principali causa agente, ex passione Christi sicut ex causa pri-

(1) *Al. deservire.*
(2) *Fortè deest ita.*

ma meritoria, ex fide Ecclesiae sicut ex continuante instrumentum principali agenti.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus, secundum quod homo, est causa meritoria nostrae justificationis; sed secundum quod Deus, est causa influens gratiam.

Ad secundum dicendum, quod resurrectio est causa justificationis quantum ad terminum ad quem; sed sacramenta magis respiciunt terminum a quo; et ideo directius respiciunt passionem, quae ad peccati deletionem principaliter quasi satisfactio quaedam ordinatur.

Ad tertium dicendum, quod fides dat efficaciam sacramentis, in quantum causae principali quodammodo continuatur, ut dictum est; et ideo fides passionis, a qua immediate et directe sacramenta efficaciam habent, sacramentis efficaciam largitur.

Solutio IV. Ad quartam questionem dicendum, quod, quia omne agens agit sibi simile, ideo effectus agentis oportet quod aliquo modo sit in agente. In quibusdam enim est idem secundum speciem; et ista dicuntur agentia univoca, sicut calor est in igne calefaciente. In quibusdam vero est idem secundum proportionem sive analogiam, sicut eum sol calefacit. Est enim in sole aliquo modo ita facit eum calefacientem sicut calor facit ignem calidum; et secundum hoc calor dicitur esse in sole acquivoce, ut dicitur in libro de Substantia orbis (cap. 2.). Ex quo patet quod illud quod est in effectu ut forma dans esse, est in agente, in quantum hujusmodi, ut virtus activa; et ideo sicut se habet agens ad virtutem activam, ita se habet ad continentiam formam effectus. Et quia agens instrumentale non habet virtutem agendi ad aliud quod ens completum, sed per modum intentionis, ut dictum est, et forma introducta continetur in eo per modum intentionis, sicut sunt species colorum in aere, a quibus aer non denominatur coloratus; etiam hoc modo gratia est in sacramentis sicut in instrumentum, non complete, sed incomplete quantum ad quatuor. Primo, quia in instrumentum non est forma effectus secundum completam rationem speciei, sicut est in effectu jam completo, et in causa univoca. Secundo, quia est in eo per modum intentionis, et non secundum completum esse in natura, sicut forma effectus est in causa principali non univoca secundum esse perfectum in natura, quamvis non secundum completam rationem illius speciei sive formae quam inducit in effectu, ut calor est in sole. Tertio, quia non est in eo per modum intentionis quiescentis, sicut sunt intentiones rerum in anima, sed per modum intentionis fluentis duplici fluxu: quorum unus est de potentia in actum, sicut etiam in mobili est forma, quae est terminus motus, dum movetur ut fluens de potentia in actum; et inter haec cadit medium motus, cuius virtute instrumentum agit: alius de agente in patientem, inter quae cadit medium instrumentum, prout unum est movens, et alterum motum. Quarto, quia sacramentum etiam instrumentaliter non attingit directe ad ipsam gratiam, ut dictum est, sed dispositive.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia non est in sacramentis sicut in subjecto, sed sicut in causa dispositiva instrumentali; sed intentio illa quae et virtus dicitur, est in sacramento sicut in subjecto.

Ad secundum dicendum, quod pulcherrime dictum est, gratiam contineri in sacramentis sicut in

vase per quamdam similitudinem. Sicut enim quod est in vase, non denominat vas, sed in eo conservatur, ut possit inde accipi cum libet; ita gratia quae continetur in sacramentis, non denominat ipsa, nec qualificat ea secundum aliquid esse completum, sed gratiam in eis accipere poterit qui eis uti voluerit.

Ad tertium dicendum, quod forma effectus quae est in agente principali vel instrumentali, non fit eadem numero in effectu. Nec propter hoc frustra est: quia non ad hoc ordinatur ut ipsamet in effectu fluat, sed ut ab ea vel per eam similis fiat in effectu. Causa enim efficiens non reducitur in idem numero eum forma generati, sed in idem specie, ut patet in 2 Phys. (text. com. 70.).

Ad quartum dicendum, quod continere dicuntur, in quantum aliquo modo sunt causa ipsius.

Solutio V. Ad quintam questionem dicendum, quod, sicut in 2 lib., 26 dist., quaest. unic., art. 5, et 4, dictum est, gratia gratum faciens est una, et est in essentia animae sicut in subjecto, et ab ipsa fluunt virtutes et dona ad perficiendum potentias animae, sicut etiam potentiae fluunt ab essentia; et distinguuntur istae virtutes secundum diversos actus, ad quos oportet potentias animae perfici. Similiter etiam a gratia illa quae est in essentia animae, effluit aliquid ad reparandum defectus qui ex peccato inciderunt; et hoc diversificatur secundum diversitatem defectuum. Sed quia hujusmodi defectus non sunt ita noti sicut actus ad quos virtutes perficiuntur; ideo hic effectus ad reparandum defectum non habet speciale nomen, sicut virtus, sed retinet nomen suae causae, et dicitur gratia sacramentalis, ad quam directe sacramenta ordinantur: quae quidem non potest esse sine gratia quae respicit essentiam animae, sicut nec virtus. Sed tamen gratia quae est in essentia animae, non potest esse sine virtutibus; et ideo virtutes in ea habent connexionem. Potest autem esse sine gratia sacramentali; et ideo gratiae sacramentales connexionem non habent. Et ita patet quod gratia quam sacramentum directe continet, differt a gratia quae est in virtutibus, et donis; quamvis etiam illam gratiam per quamdam continuationem contineant.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia gratum faciens, prout est in essentia animae, est una, sed secundum quod fluat ad defectus (1) potentiarum tollendos, et potentias perficiendas multiplicatur.

Ad secundum dicendum, quod gratia virtutum opponitur peccato, secundum quod peccatum continet inordinationem actus; sed gratia sacramentalis opponitur ei secundum quod vulnerat naturale bonum potentiarum.

Ad tertium dicendum, quod recessus a peccato, prout opponitur virtuti, et accessus ad perfectionem virtutis pertinent ad eandem gratiam, non autem recessus a peccato secundum quod vulnerat naturam: quia requirit specialem medicinam, sicut in morbo corporali etiam patet.

ARTICULUS V.

Utrum sacramenta veteris legis gratiam conferrent.
(5 p., quaest. 62, art. 6.)

Ad quantum sic proceditur. 1. Videtur quod

(1) *Al. ad effectus.*
S. Th. Opera omnia. V. 7.

sacramenta veteris legis gratiam conferrebant. Ut enim supra dictum est, sacramenta a sacramento dicuntur, sicut ornatus ab ornando, et munimenta a muniendo. Sed sine gratia non potest aliquid sacrari. Ergo sacramenta veteris legis gratiam conferrebant.

2. Praeterea, in canone missae fit oratio, ut sacrificium Ecclesiae Deo sit acceptum, sicut sacrificia antiquorum accepta fuerunt; et Dan. 5, petitur ut sacrificium humiliati et contriti spiritus suscipiatur a Deo, sicut holocaustum arietum et taurorum. Sed sacrificium Ecclesiae et sacrificium contriti spiritus gratiam conferunt. Ergo et sacramenta veteris legis gratiam conferbant.

3. Praeterea, Hugo de sancto Victore dicit (lib. 1 de Sacram., part. 10, cap. 5), quod ex quo homo aegrotare coepit, Deus in sacramentis suis medicinam paravit. Sed medicina non potest exhiberi contra morbum peccati nisi per gratiam. Ergo sacramenta antiquorum gratiam conferbant.

4. Praeterea, homo periculosus infirmabatur in affectu per concupiscentiam quam in intellectu per ignorantiam. Sed sacramenta contra ignorantiam figurabant futuram salutem. Ergo multo amplius contra concupiscentiam gratiam conferbant.

5. Praeterea, impossibile est sine gratia satisfacere. Sed sacramenta veteris legis erant satisfactoria; unde pro diversis peccatis diversa sacrificia injungebantur in lege, ut patet Levit. 16 et 17. Ergo gratiam conferbant.

Sed contra, Hebr. 10, 4: *Impossibile est sanguine hircorum et taurorum auferri peccata.* Sed gratia tollit peccatum. Ergo antiqua sacramenta gratiam non conferbant.

Praeterea, per gratiam est vita animae. Sed de praeceptis veterum sacramentorum dicitur Ezech. 20, 25: *Dedi eis praecepta non bona, et iudicia in quibus non vivunt.* Ergo gratiam non conferbant.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod eorum usus non erat meritorius. Nihil enim est meritorium nisi sit Deo acceptum. Sed sacramenta illa non erant Deo accepta; super illud enim Isaiae 1: *Sanguinem hircorum nolui,* dicit Glossa (1): *Praeterito utens tempore, ostendit se nunquam sacrificia Iudaeorum amasse.* Ergo eorum usus non erat meritorius.

2. Praeterea, nullum opus inutile est meritorium. Sed occisio tot animalium erat omnino inutilis. Ergo non erat meritorium.

3. Praeterea, nihil efficit nisi hoc quod a Deo institutum est (2). Sed illa sacramenta imposuit Deus in onus; sicut in littera dicitur. Ergo eorum exercitium meritorium non erat.

4. Praeterea, Origenes dicit (3) quod illa ratione permisit Deus hoc sibi fieri quia permisit libellum repudii. Sed libellus repudii semper malus fuit, et nunquam meritorius. Ergo nec praedictorum sacramentorum usus.

Sed contra, dicit Beda (super 10 capit. Marc.), quod sacramenta veteris legis suo tempore custo-

(1) Ex Hieronymo sumpta, sine nomine tamen (*Ex edit. P. Nicolai*).

(2) *Sensus est:* Nihil a quoquam efficitur, praeterquam quod a Deo institutum est.

(3) In lib. Numer., hom. 17 (*Ex edit. P. Nicolai*).

data vitam conferebant aeternam. Sed nihil perducit ad vitam aeternam, nisi sit meritum. Ergo erant meritoria.

Praeterea, omnis actus virtutis formatae est meritorius. Sed usus sacramentorum veteris legis erat actus laetiae, quae in sanctis viris caritate formata erat. Ergo erat meritorius.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod non purgabant ab immunditiis carnis. Aut enim illae immunditiae sunt pure corporales, aut spirituales. A corporalibus pure non mundabant, immo magis inquinare videbantur. Similiter nec a spiritualibus, quia spirituales ab anima in corpus fiunt: quia secundum Augustinum (lib. 1 de Civit. Dei, cap. 18, expressus lib. de Continentia, cap. 2), non inquinatur corpus, nisi prius anima inquinata fuerit. Diata autem sacramenta animam non mundabant, cum gratiam non conferrent. Ergo neque carnem.

2. Praeterea, inter omnia sacramenta veteris legis magis erat purgativum cinis vitulae aspersus. Sed hic magis immundabat quam purgaret: quia sacerdos, qui vitulum immolaverat, immundus efficiebatur, ut patet Num. 19. Ergo nec alia sacramenta purgabant.

5. Praeterea, sacramenta novae legis sunt majoris efficaciae quam sacramenta veteris legis. Sacramenta autem novae legis non purgant ab irregularitatibus. Ergo nec sacramenta veteris legis ab eis purgabant: quae irregularitates Magister hic exponit immunditias carnis.

Sed contra est quod dicitur Hebr. 9, 15: *Sanguis hircorum, et sanguis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.*

Praeterea, sicut sacramenta nostra dicuntur spiritualia, ita et illa carnalia dicebantur; Heb. 9, 1: *Habuit prius testamentum justificationes culturae.* Glossa (interlinealis): *Non veras et spirituales, sed pro modo culturae carnis.* Sed sacramenta novae legis purgant ab immunditiis spiritualibus. Ergo illa purgabant ab immunditiis carnis.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam quaestionem, quod in sacramento est duo considerare; scilicet ipsum sacramentum, et usum sacramenti. Ipsum sacramentum dicitur a quibusdam opus operatum; usus autem sacramenti est ipsa operatio, quae a quibusdam opus operans dicitur. Cum ergo dicitur sacramentum, per se loquendo, gratiam conferre vel non conferre, justificare vel non justificare, referendum est ad opus operatum. De opere autem operato in sacramentis veteris legis duplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod in illis sacramentis opus operatum erat signum sacramentorum novae legis, et passionis Christi, a quo efficaciam habent; et ideo illud opus operatum erat cum quadam profectione fidei; et ideo indirecte et ex consequenti habebant justificare, quasi mediantibus nostris sacramentis per ea significatis a Deo significationem habentia, ut dicit Hugo de sancto Victore (lib. 1 de Sacram., part. 11, cap. 1 et 2). Nostra autem sacramenta directe et immediate justificant, quia ad hoc directe sunt instituta. Sed haec opinio non videtur convenire dictis sacerdotum: dicunt enim, quod lex erat occasio mortis, in quantum ostende-

bat peccatum, et gratiam adiutricem (1) non conferebat. Nec differt quantum ad hoc qualitercumque vel directe vel indirecte gratiam conferrent. Et praeterea secundum hoc nulla esset vel valide modica praeminencia sacramentorum novae legis ad sacramenta veteris legis: quia etiam sacramenta novae legis a fide et significatione causandi efficaciam habent, ut dictum est. Et ideo alii dicunt, et melius, quod nullo modo sacramenta ipsa veteris legis, id est opus operatum in eis, gratiam conferebant, excepta circumcisione, de qua post dicitur.

Secundum hoc ergo ad primum dicendum, quod sanctificatio quandoque importat emundationem et confirmationem spiritualem, quae fit per gratiam; et sic sacramenta veteris legis non dicebantur sacramenta, nisi quasi signa sanctificantium, ut dictum est. Alio modo sanctificatio importat mancipationem alicujus ad aliquod saerum; et sic dicebantur sacramenta, et quasi sanctificantia, quia per ea fiebat quaedam idoneitas ad sacros usus et in templo et in vasis et in ministris et in populo. Et per hunc etiam modum apud gentiles dicebantur sacramenta militaria, quibus homo mancipabatur officio militari, quod sacramentum reputabatur, sicut et omnia quae ad communitatem pertinebant.

Ad secundum dicendum, quod illa oratio in canone missae non attenditur quantum ad ipsa operata, quia hoc sacrificium magis placet quam illa; sed petitur ut devotio istius offerentis placeat, sicut illorum placuit: et similiter Daniel comparat sacrificium, quale tunc poterat offerre, ad devotionem illorum qui sacrificia in lege praecipta in Hierusalem cum magna devotione obtulerant.

Ad tertium dicendum, quod sacramenta veteris legis dicebantur medicinae quantum ad significationem, et non quantum ad collationem gratiae.

Ad quartum dicendum, quod homo tempore legis naturae relictus est sibi quantum ad cognitionem; et per ignorantiam erravit in idolatriam lapsus: unde ut quantum ad omnia se infirmum inveniret, oportebat ut instructus per legem et sacramentorum ejus significationem, se impotentem cognosceret sine auxilio gratiae; et ideo congruum fuit ut illa sacramenta gratiam non conferrent, ut sic salus a solo Christo expectaretur.

Ad quintum dicendum, quod quamvis illa sacramenta peccata non diluerent quantum ad maculam, quia gratiam non conferebant, diminebant tamen reatum, in quantum onerosa erant; et ideo satisfactoria esse poterant, praesupposita gratia ex fide mediatoris ei collata.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod de usu sacramentorum, qui opus operans a quibusdam dicitur, est etiam duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod usus ipse non erat meritorius, etiamsi in fide et caritate fierent: et hoc videtur Magister in littera dicere. Sed hoc videtur absurdum, quod labores sanctorum patrum in hujusmodi sacramentis Deo accepti non fuerint, et quod opus virtutis possit esse non meritorium. Et ideo communiter tenent, quod usus eorum meritorius esse poterat, si ex caritate fieret. Aliqui tamen excusant Magistrum, dicentes, quod ipse intellexerit ipsa opera operata non justificare quantumcumque in caritate fierent, quamvis ipsa ope-

(1) Al. ad invicem.

ratio ex caritate facta possit esse meritoria in eo qui est in statu merendi.

Ad primum ergo dicendum, quod sacrificia illa per se loquendo nunquam fuerint Deo accepta, quia gratiam non continebant, per quam Deo aliquid est acceptum; sed per accidens erant et accepta et non accepta. Accepta quidem propter significationem et devotionem offerentium; sed non accepta et abominabilia propter peccata et abusum offerentium, et quia eadem idolis immolabantur, et sic in quantum erant Deo accepta, poterant esse meritoria.

Ad secundum dicendum, quod quamvis occisio animalium esset secundum se inutilis, tamen in quantum ordinabatur ad cultum Dei, ex divina institutione utilis erat, et ejus utilitates tanguntur in Glossa (1), Rom. 5: *Lex data est ad domandum superbum, ut scilicet Deo offerret potius quam idolis; ad flagellandum durum, in quantum erat ad satisfactionem; ad instruendum insipientem, ratione significationis, ad ostensionem delicti, et humana infirmitatis; et hoc respondet primis duobus; ad manifestationem et testimonium gratiae, et futurum significationem; et hoc exponit tertium.*

Ad tertium dicendum, quod lex secundum Augustinum (de Nuptiis et Concupisc., cap. 11) data est quantum ad hujusmodi sacramenta duris et superbis in flagellum et onus, ut operatis divinis sacrificiis non liberet eis ad idolatriam declinare; sed perfectis in signum, et parvulis in paedagogum: et quantum ad hoc poterat esse eorum usus meritorius.

Ad quartum dicendum, quod Magister loquitur de illis sacrificiis, secundum quod habebant aliquam rationem displicentiae ex hoc quod idolis immolabantur; et quantum ad hoc non habebant rationem meriti.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod veteris legis intentio erat homines ad timorem et reverentiam Dei inducere, et a carnalibus ad spiritualia trahere paulatim; et ideo instituit multa impedimenta, quibus homines ab usu illorum sacramentorum frequenter impederentur, ut sic magis in reverentia haberentur, quia omne rarum carum; et sic etiam paulatim a carnalibus observantibus dissuescerent, quandoque totaliter abstracti in tempore gratiae. Et haec impedimenta immunditiae carnis dicebantur, quibus homo corporaliter accedere ad sancta idoneus (2) efficiebatur; et ab his carnis immunditiis sacramenta legis purgabant.

Ad primum ergo dicendum, quod immunditiae illae non erant spirituales, quasi a peccato causatae semper, sed quasi a sacramentis prohibentes.

Ad secundum dicendum, quod sacerdos lavabat manus et vestimenta, ne cum manibus sanguinolentis et cineriosis alia tangeret; et quia sacrorum ad communia non debet esse commixtio; unde etiam uncti chrismate manus lavant, et abstergunt. Immundus autem reputabatur propter tria. Primo ut sacerdotis esset sub onere, sicut et alii. Secundo ad tollendum superbia sacerdotum de hoc quod alios sanctificabant. Tertio ad significandum

(1) Non adeo expresse ut hic, in Glossa quae nunc extat; sed similia quaedam sparsim, ex quibus aequaliter colligi potest (Ex edit. P. Nicolai).

(2) Al. idoneus.

quod sacerdos novi Testamenti propter maximam sanctitatem sacrificii semper debet se idoneum (1) reputare.

Ad tertium dicendum, quod in nova lege non sunt irregularitates tot sicut in veteri lege, nec sunt nisi in ministris Ecclesiae, in quibus requiritur maxima idoneitas propter sacramentorum sanctitatem; ideo tales irregularitates non ita facile absteruntur.

Expositio primae partis textus.

Observantiae caeremoniales. Caeremonialia dicuntur quae secundum se non habent causam manifestam ipsorum factorum, quibus fieri possunt habere causam manifestam suae institutionis. Dicitur autem caeremonia, quasi munia Cereris; quae erat dea frugum, quia ei prius sacrificia instituta sunt, et exinde translatum est nomen ad omnem divinum cultum. Vel, sicut dicit Valerius Maximus (2), dicuntur a Caere oppido, in quo prius Romani suos ritus insituerant (3).

Mundabant etiam interdum a corporali lepra; id est, mundatum ostendebant, quando signa quae apparuerant, cessabant.

Sine medio Deum videbant; id est, divinatorum cognitionem non ex sensibilibus signis accipiebant, sed per infusionem. Et de hoc in 2 lib., dist. 24, dictum est.

Divisio secundae partis textus.

Postquam determinavit Magister differentiam sacramentorum veteris et novae legis, hic determinat de quodam sacramento veteris legis, scilicet circumcisione, quod cum sacramentis novae legis aliquam convenientiam habet; et dividitur in partes duas: in prima determinat de circumcisione; in secunda movet quendam quaestionem circa praedeterminata, ibi: *Si vero quaeritur, etc.* Prima (4) in tres: in prima determinat efficaciam circumcisionis; in secunda institutionem ipsius, ibi: *Hic dicendum est in quo instituta fuerit circumcisio;* in tertia determinat de mutatione ipsius per baptismum, ibi: *ideo autem mutata est etc.* Circa primum duo facit: primo ostendit quam efficaciam circumcisio habeat; secundo ostendit quod eamdem efficaciam contra originale habebant quaedam remedia ante praecceptum de circumcisione datum, ibi: *Quaeritur autem de viris qui fuerint ante circumcisionem.*

QUAESTIO II.

Hic quaeruntur sex: 1.º de necessitate circumcisionis; 2.º quibus competeret; 3.º de his quae ad circumcisionem requirebantur; 4.º de efficacia cir-

(1) Al. idoneum.

(2) Lib. 1, cap. 4, §. 10 (Ex edit. P. Nicolai).

(3) *Addit Nicolai.* Sive quia post captam Romam sacra quae illuc per Flaminem ac per Vestales ferebantur, et quae in plaustro suo Alvernus accepit, ut onera deferentium sublevaret, summa cum veneratione a Caeritanis recepta sunt; indeque institutum ut sacra promiscue omnia caeremonia vocarentur. Vel sicut dicit Augustinus (lib. 2 Retractationum, cap. 56), a carendo caeremoniae appellatur, eo quod observantes carant illis rebus a quibus religio causa sponte abstinent. Nec alia origo hujus nominis quae vera religione abhorreat, congruus potest usurpari.

(4) Nicolai addit iterum.

circumcisionis; 5.^o de mutatione ipsius; 6.^o de remedio quod circumcisonem praecessit.

ARTICULUS I.

Utrum necessarium fuerit circumcisonem dari.
(5 part., quaest. 70, art. 2.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod non fuerit necessarium circumcisonem dari. Sapiens est enim facere aliquid quanto brevis potest. Sed per fidem et sacramenta legis naturae sufficienter originale purgabatur. Ergo non oportebat in remedium originale circumcisonem dari.

2. Praeterea, peccato originali, quia ex alio contractum est, non debetur poena sensibilis, nec expiatio per satisfactionem. Sed circumcisonem poenam sensibilem habebat. Ergo non erat conveniens remedium contra originale.

Sed contra, circumcisis est signaculum fidei, quae est in praepitio patris nostri Abrahae, Rom. 4. Sed conveniens fuit illam fidem significari, cuius oportet nos omnes imitatores existere. Ergo congruum fuit circumcisonem dari.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod non debuerit dari ante legem scriptam. Quia in lege naturae non erat aliqua distinctio, cum lex communis omnibus esset. Sed circumcisis signum distinctivum est: quia secundum Damascenum (lib. 4 de Fide orth., cap. 26), est signum determinans (1) Israel a Gentibus. Ergo non debuit dari ante legem scriptam.

2. Praeterea, praecipua quae non sunt indita rationi naturali, debent ad populum per ministrorum officium tradi (2). Sed circumcisis non erat de dictamine legis naturalis. Ergo cum ante legem scriptam non esset ministrorum distinctio, videtur quod tunc dari non debuerit.

Sed contra, circumcisis, secundum Apostolum, est signum fidei. Sed etiam ante legem scriptam erat distinctio fidelium a non fidelibus. Ergo tunc oportebat eis dari.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod non debuerit differri usque ad tempus Abrahae. Quia etiam ante ipsum erant fideles ab infidelibus distincti. Sed circumcisis est signum fidei. Ergo ante tempus Abrahae dari debuit.

2. Praeterea, circumcisis majorem habet efficaciam quam sacramenta legis naturae; alias postea instituta non fuisset. Sed non minor erat necessitas efficacis remedii ante Abraham quam post. Ergo etiam ante eum dari debuit.

Sed contra, fides quae sacramentis efficaciam significandi dat, est fides Mediatoris, ut supra dictum est. Sed Abrahae primo dietae sunt reprobationes de Mediatore ex semine ejus nascendo (Galat. 4). Ergo ei primo signum fidei distinctum dari debuit in generationis membro.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod circumcisis primo et principaliter

ter necessaria fuit ad expressiorem significationem, quam sacramenta praecedentia fuissent. Oportuit enim quod secundum processum temporis, sicut explicatio fidei crescebat, ita cresceret distinctio signorum sacramentalium. Habet autem circumcisis expressam similitudinem ablationis originalis peccati quantum ad quatuor. Primo quantum ad membrum generationis, per quam originale transfunditur. Secundo quantum ad figuram circularem, in qua significatur circulus, qui est in processu originalis infectionis, secundum quod persona corrumpit naturam, et natura personam. Tertio quantum ad poenam, quae erat in circumcissione contra delectationem concupiscentiae, in qua praecipue viget fomitis virtus. Quarto quantum ad sanguinis effusionem, in quo significatur passio Christi, per quam pro originali satisfaciendum erat. Et quantum ad hanc utilitatem definitur circumcisis, quod est signaculum curationis ab originali. Sed ex consequenti fuit alia utilitas circumcissionis scilicet distinctio fidelis populi ab infideli propter fidem ejus cui data fuit circumcisis; et quantum ad hoc definit Damascenus (ubi supra), circumcissionem sic: *Circumcisis est signum determinans Israel a gentibus, cum quibus conversabatur*. Habuit etiam mysticam significationem; et moralem, quia erat signum castitatis servandae; et allegoricam, in quantum significabat purificationem per Christum futuram; et quasi anagogicam, in quantum significabat depositionem corruptibilitatis (1) carnis et sanguinis in resurrectione.

Ad primum ergo dicendum, quod has utilitates habuit circumcisis prae sacramentis legis naturae; et ideo post illa institui debuit.

Ad secundum dicendum, quod poena illa non erat ad satisfactionem, sed tantum ad significationem.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod lex scripta non debuit dari divinitus nisi populo fideli; et ideo oportuit populum fidelem prius congregari, et ab aliis distingui, quam lex divinitus ei daretur. Hoc autem non poterat fieri nisi per aliquod signum, in quo fideles ad invicem convenirent, et ab aliis distinguerentur, quod ad circumcisonem pertinet; et ideo ante legislationem (2) debuit circumcisis dari.

Ad primum ergo dicendum, quod circumcisis erat quodammodo legis naturae, in quantum tempore legis naturae data fuit, et quodammodo legis scriptae, in quantum ad ipsam praeparabat. Dispositiones autem distinctionem habent penes ea ad quae disponunt.

Ad secundum dicendum, quod peccatum originale a nobis non habemus, sed aliunde; et ideo aliunde totaliter remedium habet, nobis non cooperantibus, scilicet a Deo. Et propter hoc, sacramentum quod in remedium originale erat, a Deo immediate praecipui debuit, sicut circumcisis et baptismus. Secus autem est de sacramentis legalibus, quae erant instituta ad satisfaciendum pro actualibus.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod ex corruptione peccati originalis humanum genus circa tempora Abrahae usque ad profundissima peccatorum venerat, scilicet in infidelitatem, et turpissimum vitium contra naturam; et ideo tunc temporis primo conveniebat promissionem fieri ma-

(1) Damasceni nova translatio habet discrimians.
(2) Al. trahi.

(1) Al. corruptibilitatis, et carnis.
(2) Al. legislationem.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod Christo circumcisi non competeat. Sabbati enim observatio vicinior erat praecipis moralibus, inter quae etiam computatur, quam circumcisis. Sed Christus sabbatum litteraliter non observabat; unde dicebant de ipso, Joan. 9, 16: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*. Ergo nec circumcisonem servare debuit.

Praeterea, Hebr. 7, dicit Glossa (1), quod Christus in lumbis Abrahae decimatus non fuit, quia decima figurabat medicinam originale, quod in Christo non fuit. Sed similiter circumcisis, ut dictum est, significat emundationem ab originali. Ergo Christo non competeat.

Sed contra, Gal. 4, 4: *Misit Deus Filium suum, natum de muliere, factum sub lege*. Sed illis qui sub lege erant, competiit circumcisis. Ergo et Christo.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod sicut peccatum per Adam in omnes transierat, ita oportebat per Christum in omnes sanctificationem a peccato transire; unde ad praerogativam sanctitatis ejus insinuandam oportebat quidquid ad Christum pertinebat, specialiter sanitate pollere. Et ideo in populo de quo Christus nasciturus erat, oportebat specialiter cultum Dei esse, et ipsum apud eos significari. Et quia circumcisis est signum distinguens populum Dei ab aliis, ideo oportebat populo Israel specialiter circumcisonem datam esse non solum quantum ad illos qui de stirpe Jacob erant, sed quantum ad omnes qui ad populum illum qualitercumque pertinebant.

Ad primum ergo dicendum, quod circumcisis erat remedium contra originale cum significatione sanctificationis nascituri seminis, propter quod erat in membro generationis; et ideo hoc remedium illi tantum populo competeat ex quo Christus nasciturus erat. Apud alios autem manebant adhuc eadem remedia quae fuerant ante circumcisonem data, quia eis non oportebat specialia sanctitatis documenta et remedia dare.

Ad secundum dicendum, quod quamvis omnes tenerentur ad habendum fidem quam habuit Abraham, non tamen omnes tenebantur imitari Abraham in fide: quia nec ad omnes notitia Abrahae venerat, nec omnibus erat datus ut exemplum imitabile nisi mediante semine, in quo omnes gentes benedictionem Abrahae consecuturae erant; et ideo circumcisis, quae erat signum fidei Abrahae, non omnibus populis competeat.

Ad tertium dicendum, quod quantum ad promissionem factam Abrahae, separatus est per electionem Dei Isaac ab Ismaele, et Jacob ab Esau, ut patet Rom. 9, non autem aliqua segregatio facta est in filiis Israel; et ideo omnes filii Israel pertinebant ad populum Dei peculiarem; et propter hoc illis solis circumcisis competeat, quasi nunquam a familia Abrahae separatis. Ismael autem et Esau tenebantur ad circumcisonem quando erant in familia parentum, non autem post recessum ab eis.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod peccatum originale, ut 2 lib., dist. 51, quaest. 1, art. 1, dictum est, quantum ad culpam et rea-

nifestam de semine nascituro, in quo omnes gentes benedicentur, et a peccatis mundarentur. Tunc etiam oportebat in significationem aliquod exemplum fidei hominibus proponi contra infidelitatem; tunc signa castitatis dari contra corruptissimam concupiscentiam; et ideo Abrahae primo data est circumcisis in signum paternitatis, ut ex quo nasciturus erat peccatorum destructor et (1) in signum fidei, et distinctionis ab infidelibus, et in signum castitatis et munditiae.

Ad primum ergo dicendum, quod ante Abraham fere omnes fideles erant: circa tempora enim ejus dicitur idolatria incepisse.

Ad secundum dicendum, quod quia tunc temporis corruptio magis invaluerat, ideo etiam tunc oportebat efficacius remedium dari.

ARTICULUS II.

Utrum omnibus populis debuerit circumcisis dari.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod omnibus populis circumcisis dari debuerit. Data est enim in remedium contra originale. Sed morbus iste communis omnibus erat. Ergo et medicina debuit esse communis.

2. Praeterea, circumcisis data est in signum fidei. Sed Abrahae fidem imitari omnes tenebantur: ac fides semper fuit de necessitate salutis. Ergo omnibus circumcisis dari debuit.

3. Praeterea, Genes. 17, 10, dicitur: *Hoc est pactum quod observabis inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur in vobis omne masculinum*. Sed de semine Abrahae multi populi processerunt praeter filios Israel, sicut Ismaelites, Idumaei etc. Ergo non solum filiis Israel circumcisis competeat.

Sed contra, circumcisis erat signum fidei. Sed unus tantum populus erat in quo fides, et cultus Dei remansit, ceteris per idolatriam depravatis. Ergo eis tantum circumcisis competeat.

Praeterea, circumcisis significabat medicinam futuram per Christum. Sed tantum ex uno populo scilicet Israel, Christus nasciturus erat. Ergo tantum illi populo circumcisis competeat.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod debuit hoc remedium etiam mulieribus communiter dari. Circumcisis enim data erat in medicinam contra primam transgressionem. Sed prima transgressio incepit a femina. Ergo et feminis remedium dari debuit.

2. Praeterea, ubi eadem causa, et idem effectus. Sed eadem causa in viris est, ut circumcisis eis daretur, et in mulieribus: quia et ipsae ad populum Dei pertinent, et in eis corruptio originalis est. Ergo eis remedium dari debuit.

Sed contra, Hugo de sancto Victore dicit (lib. 1 de Sacram., part. 12, cap. 11), quod *solis masculis data est circumcisis carnis, quia sacra Scriptura per masculinum sexum animam, per feminam vero carnem significare consuevit, ut scilicet ostenderet quod illa circumcisis animalibus sanctificationem contulit, non abstulit carni corruptionem*.

(1) Al. etiam.

(1) Ex Augustino desumpta, et habet haec plenus (Ex edit. P. Nicolai).

tum descendit a patre in filios; quantum ad poenaltates descendit a femina: quia pater est efficiens in generatione, et mater materiam ministrat. Circumcisio autem data est contra originale ad tollendum culpam, non autem ad tollendum carnis corruptionem; et ideo viris, et non mulieribus data est: et haec est causa quae in objectione tacta est. Per hoc etiam ostenditur sacramentum imperfectum, et sua imperfectio in expectationem perfectionis ducit (1).

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis transgressio a femina incepta, tamen transfusionis originalis peccati causa non fuit femina, sed vir: quia si vir non peccasset originale transfusum non fuisset; ideo dicitur Apostolus Rom. 5, 12, quod: *per hominem peccatum intravit in mundum*.

Ad secundum dicendum, quod jam patet quod non est eadem causa et viris et mulieribus quantum ad hoc quod circumcisio contra originale ordinatur; similiter etiam nec quantum ad hoc quod est distinctivum et signum populi fidelis ab infideli: quia principaliter populi distinctio est ex parte virorum, quia mulieres viris subjectae sunt; et ideo etiam apud Hebraeos non computabantur genealogiae ex parte mulierum, sed ex parte virorum.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod Christo circumcisio competebat non propter indigentiam, sed propter decentiam: cuius potest in Christo multiplex ratio assignari. Prima est, ut ipse se ostenderet filium Abrahae, cui praeceptum circumcisionis erat factum, et promissio nasciturus feminis; et sic Dei promissionem impletam insinuaret. Secunda, ut circumcisionem, sicut et alia legalia, suscipiens, ab onere legis nos liberaret. Tertia, ut fratrem Iudaeorum se ostenderet, ne haberent justam occasionem ipsum repellendi.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus in pueritia in nullo ab aliis pueris segregatus fuit quantum ad exteriorem conversationem; et ideo omnia quae ad pueros pertinebant in veteri lege, in se implere voluit. Sed quando iam ad perfectam aetatem pervenit, ostendere debuit se dominum legis esse, et legem usque ad ipsum impositam fuisse; et ideo in quibusdam supra legem operatus est, sicut de observatione sabbati, et in tactu leprosi.

Ad secundum dicendum, quod decimatio erat actus tantum figuralis quantum ad illos qui in lumbis Abrahae decimabantur; et ideo Christo non competebat, quia ab originali immunis fuit: sed circumcisio etiam habet alias causas praeter significationem in illis qui circumciduntur; et ideo non est similis ratio de utroque.

ARTICULUS III.

Utrum dies octavus ad circumcisionem requireretur.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod octavus dies non requireretur ad circumcisionem. Alia enim remedia contra originale data sive in lege naturae sive in lege gratiae, tempus determinationem non habent. Ergo nec circumcisio habere debuit ad idem data.

2. Praeterea, poterat contingere quod dies o-

(1) Al. educit.

ctavus erat dies sabbati. Sed in die illo praeccepta erant quies ab exterioribus operibus. Ergo non erat de necessitate circumcisionis quod octavo die fieret.

3. Praeterea, illi qui vagati sunt in deserto, non fuerunt octavo die circumcisi, sed postea tempore Josue in Galgala, Josue 5; et profuit illis circumcisio, nec illis obtulit ad transgressionem, ut videtur, qui in deserto mortui sunt incircumcisi. Ergo determinatio temporis non est de necessitate circumcisionis.

4. Praeterea, sicut praetermittitur determinatum tempus, si praevenerit, ita et si tardetur. Sed proseliti circumcidebantur post octavum diem, et eis valebat. Ergo et pueri poterant ante octavum diem circumcidi, et eis valere.

Sed contra, circumcisio non habebat efficaciam nec obligationem nisi ex praeccepto divino. Sed circumcisio fuit in praeccepto secundum determinatum tempus. Gen. 17, 12: *Infans octavo dierum circumcidetur in vobis*. Ergo et determinatum tempus erat de necessitate circumcisionis.

Praeterea, significatio est de necessitate sacramenti. Sed octava dies facit ad significationem. Ergo est de necessitate ipsius.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod determinatio membri non fuerit de necessitate circumcisionis. In sacramentis enim signum debet respondere signato. Sed purgatio originalis quae significatur per circumcisionem, non est secundum aliquam partem determinatam, sed secundum totum. Ergo nec circumcisio debet aliquam partem determinatam habere.

2. Praeterea, sacramenta maximam honestatem in se habere debent. Sed membra generationis videntur esse turpia et verecunda. Ergo non decuit ut in illo membro determinate aliquod sacramentum daretur.

Sed contra est quod dicitur Gen. 17, 2: *Circumcidetis carnem praepulvis vestri*.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod cultellus lapideus sit de necessitate circumcisionis. Circumcisioni enim baptismus successit. Sed determinatum instrumentum ablutionis, scilicet aqua, est de necessitate baptismi. Ergo et determinatum instrumentum incisionis esse debuit de necessitate circumcisionis, et praecipue propter significationem quae in littera ponitur; significatio enim est de ratione sacramenti.

2. Praeterea, Gregorius dicit super Ezech. (hom. 10): *In sanctorum vita cognoscimus quid in Scriptura intelligere debeamus*. Sed sancti et praecipue legesatores, lapideo instrumento fecerunt circumcisionem, sicut legitur Josue 5 et Exod. 4 de Moyse. Ergo lapideum instrumentum erat de necessitate praeccepti.

Sed contra, circumcisio non habebat vim nisi ex divina institutione. Sed in eius institutione quae tangitur, Gen. 17, nulla fit mentio de instrumento lapideo. Ergo non fuit de necessitate circumcisionis.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod circumcisio et erat in praeccepto, et erat sacramentum. Octava ergo dies erat de necessitate circumcisionis quantum ad obligatio-

nem praeccepti, ita quod reus transgressionis erat qui illud tempus non observabat. Sed non erat de necessitate ejus quantum ad efficaciam sacramenti: quia etiam in alio tempore circumcisio facta suum effectum sacramentalem habebat. Sicut etiam accidit de ministrantibus nostra sacramenta, qui servant materiam et formam debitam, et omittunt aliquid de ritu ad solemnitatem sacramenti ab Ecclesia instituto. Determinationis autem hujus temporis causa est et mystica, quae tangitur in littera, et litteralis quae tangitur a Rabbi Moyse: quia puer ante octavum diem est ita tener quasi in ventre matris; et ideo sicut animalia non offerbantur propter praedictam causam ante octavum diem, ita nec puer circumcidebatur.

Ad primum ergo dicendum, quod remedium quod praecessit circumcisionem, computatur simpliciter inter sacramenta legis naturae, quae non habebant tantam determinationem secundum Hugonem de sancto Victore (lib. 1 de Sacram., part. 2, cap. 5, 4 et 5), quantum habent sacramenta legis scriptae, ad quam quodammodo pertinet circumcisio. Remedium autem quod circumcisionem sequitur, scilicet baptismus, est magis generale et perfectius, nec debuit ita restringi. Et ideo non est similis ratio de circumcissione et aliis.

Ad secundum dicendum, quod dies sabbati non impediens circumcisionem: non enim erat opus pure corporale, sed sacramentale; sicut et sacrificia, quae in sabbato offerri licebat; et ideo dicitur Joan. 7, 25: *Circumcisionem accepit homo in sabbato, et non solentur lex Moysi*.

Ad tertium dicendum, quod illi qui in deserto vagabantur dispensatio praeccepti facta est propter necessitatem, quae tangitur Josue 5: quia scilicet nesciebant quando castra movenda essent. Et iterum quia non erat necesse eos tunc aliquid signum distinctionis habere, ut Damascenus dicit (de Fide orth., lib. 4, cap. 26), quando seorsum ab aliis hominibus habitabant; et tamen quantum ad aliquos qui ex negligentia vel contemptu praetermittunt, dicit Augustinus (lib. 16 de Civ. Dei, cap. 27), quod inobedientiam incurrerent. Non autem constat quod aliqui de illis qui in deserto nati sunt, in deserto mortui sint; et videtur probabile quod non: quia dicitur in Psal. 104, 56: *Non erat in tributis eorum infirmus*. Unde illi qui de Aegypto egressi sunt, qui circumcisi erant, mortui sunt. Et ita nullus est ibi mortuus incircumcisi. Si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, idem dicendum est de eis, et de illis qui ante circumcisionis institutionem moriebantur.

Ad quartum dicendum, quod Magister videtur sentire in littera, quod licebat imminente mortis articulo idem praeveneri. Quidam vero dicunt, Hugone de sancto Victore sequentes, quod non erat necessitas idem praeveniendi: quia illis qui ante octavum diem moriebantur, valebat ad salutem remedium quod ante circumcisionem fuerat, quod adhuc efficaciam habebat; et hoc confirmant per Iudaeos qui nunc sunt, qui nunquam ante octavum diem circumciduntur, et per Glossam, Prover. 4, super illud: *Unigenitus eram coram matre mea*; quae dicit, quod alius filius Bersabee parvulus non computatur, quia ante octavum diem mortuus, nominatus non fuit, et per consequens nec circumcisi. Similiter etiam confirmant per simile: quia nullum animal offerebatur Domino ante octavum

diem. Secundum hanc ergo opinionem dicendum, quod non est simile de praeveniendo et differendo: quia praecceptum nullo modo quis transgredi debet, ut praeveniatur; sed si transgressus fuerit differendo, debet, quantum potest, illud implere in quocumque tempore.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod circumcisio erat in signum purgationis originalis peccati, et in signum distinctionis populi, ex quo Christus propagandus erat, et in signum castitatis servandae, ut dictum est; et quantum ad omnia haec decuit ut in membro generationis fieret, quia per actum generationis et originale contrahitur, et Christus ab illo populo descendit, et in illo actu castitas consistit; et ideo membrum generationis erat de necessitate circumcisionis et quantum ad efficaciam sacramenti, et quantum ad obligationem praeccepti.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis originale peccatum quantum ad essentiam non determinet aliquam partem corporis, neque quantum ad effectum; tamen quantum ad causam determinat, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod membrum generationis, quod de se nobile erat, propter concupiscentiam, quae praecipue in parte illa viget, ignobile redditum est; et ideo oportebat quod in illo membro praecipue medicina apponeretur: quia *quae inhonesta sunt nostra, abundantiorum honestatem habent*, ut dicitur 1 Corinth. 12, 25.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod sacramentum quod est signum et causa, efficit quod figurat; et ideo illa significatio est de necessitate sacramenti quae ad effectum sacramenti refertur, non autem illa quae refertur ad causam principalem effectus, sed est de bene esse ipsius. Cultellus autem lapideus non est de necessitate incisionis, per quam significatur circumcisio suum effectum, scilicet purgationem originalis; sed habet aliquam similitudinem ad causam principalem meritiorum remissionis originalis, scilicet Christum; et ideo non erat de necessitate circumcisionis neque quantum ad obligationem praeccepti, neque quantum ad efficaciam sacramenti, quod fieret cultello lapideo, quod ritus Iudaeorum usque hodie ostendit: sed in principalibus circumcisionibus, in quibus Christum significari oportebat, tale instrumentum adhibitum est.

Ad primum ergo dicendum, quod aqua de se habet maximam convenientiam ad ablutionem, per quam baptismus significat quod efficit, non autem lapis ad incisionem; et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod hoc intelligendum est de illis quae sancti observant quasi ex lege obligati; sic autem non est in proposito; et ideo ratio non sequitur.

ARTICULUS IV.

Utrum circumcisio characterem imprimere in anima. (5 p., quaest. 70, art. 4.)

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod circumcisio characterem imprimebat in anima. In sacramentis enim effectus figurae respondet. Sed circumcisio exterius erat signum distinctivum, non solum purgativum. Ergo et interius characterem distinguendum imprimebat.

2. Praeterea, omne sacramentum quod non reiteratur in nova lege, characterem imprimit. Sed circumcisio in veteri lege non reiterabatur. Ergo characterem imprimebat.

3. Praeterea, aliquis adultus circumcisus poterat fictus accedere; et sic tunc effectum circumcisionis non suscipiebat; postmodum autem deposita fictione circumcisio ei valebat: alias enim non fuisset via salutis, cum iterari non posset. Ergo habebat aliquem effectum manentem in anima, ratione cuius postea effectum ultimum (1) circumcisionis consequeretur; et hoc est character. Ergo imprimebat characterem.

Sed contra, in sacramentis novae legis perfectissima tantum sunt illa quae characterem imprimunt. Sed circumcisio erat longe inferior sacramentis novae legis. Ergo characterem non imprimebat.

Praeterea, character nos Trinitati configurat. Sed hoc indifferenter competit viris et mulieribus. Cum ergo circumcisio mulieribus non competeret, videtur quod in ea character non imprimeretur.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod circumcisio a peccato non purgaret. Rom. 3, 20: *Ex operibus legis non justificatur omnis caro coram illo.* Sed alia opera legis, ut sacrificia, non videtur minus honesta fuisse quam circumcisio. Ergo nec circumcisio a peccato justificabat.

2. Praeterea, si ab aliquo peccato purgabatur, praecipue videtur quod ab originali. Sed ab originali non purgabatur, quod patet per hoc quod Joannes circumcisus octava die, ut dicitur. Luc. 1, dixit ad Jesum Matth. 3, 14: *Ergo a te debeo baptizari;* Glossa (2): *a peccato originali mundari.* Ergo nullo modo a peccato mundabat.

3. Praeterea, nihil impedit vitae aeternae introitum nisi peccatum. Sed circumcisio janua vitae aeternae non aperiebat, ut in littera dicitur. Ergo neque peccata purgabatur.

4. Praeterea, quicquid tollit unum peccatum, tollit omnia: quia impium est a Deo dimidium sperare veniam (3). Sed nunquam invenitur a sanctis dictum, quod circumcisio tollerent peccatum attuale. Ergo nec originale tollebat.

Sed in contrarium sunt auctoritates in littera positae.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod circumcisio gratiam non conferret. Sacramentum enim non efficit nisi quod figurat. Sed circumcisio non significat gratiae collationem, sed solum culpae ablationem. Ergo gratiam non confert.

2. Praeterea, baptismus non amplius facit, nisi quod aufert culpam, et confert gratiam. Si ergo hoc ipsum circumcisio faciebat, baptismus in nullo circumcisionem excedit.

(1) *Al. ultimae.*

(2) Interlinealis, nullo nomine praenotata; sed ex Beda sumpta est (*Ex edit. P. Nicolai*).

(3) Ex cap. *Sunt plures*, dist. 7, de Poenitentia, et suppositio Augustino lib. de vera et falsa Poenitentia, cap. 9 (*Ex edit. P. Nicolai*).

5. Praeterea, propter hoc lex vetus dicebatur occidere, quia gratiam contra concupiscentiam non conferrebat. Hoc autem non esset, si circumcisio, quae erat quodammodo (1) legis sacramentum, gratiam conferret. Ergo gratiam non conferrebat.

Sed contra, in littera dicitur, quod idem remedium praeebat circumcisio quod baptismus, excepto quod janua regni caelestis non aperiebat. Sed baptismus gratiam confert, non solum culpam aufert. Ergo et circumcisio idem facit.

Praeterea, tenebra non expellitur nisi per praesentiam lucis. Sed gratia opponitur culpae, sicut lux tenebrae. Cum ergo circumcisio expelleret culpam, videtur quod gratiam conferret.

Solutio I. Respondeo, ad primam quaestionem dicendum, quod character spiritualis est quoddam signum distinctivum per hoc quod hominem in aliquo statu perfectionis constituit, sicut in baptismo, confirmatione, et ordine, ut magis infra patebit. Circumcisio autem principaliter erat signum ad purgandum constitutum; et ideo in ipsa non ponebatur homo in aliquo alio statu, et sic non competebat quod in ipsa character spiritualis conferretur.

Ad primum ergo dicendum, quod circumcisio principaliter significat per se ablationem, sed distinctionem ex consequenti et per accidens, in quantum aliqui circumcidebantur, et aliqui non; et ideo oportebat quod responderet ei effectus quantum ad principalem significationem, non autem quantum ad secundariam.

Ad secundum dicendum, quod circumcisio non iterabatur: quia causa ejus, scilicet originale peccatum, iterari non poterat; et non propter hoc quod character spiritualis in ipsa imprimeretur.

Ad tertium dicendum, quod sicut in baptismo manet character spiritualis, ratione cuius fictus deposita fictione effectum baptismi recipit; ita manebat character exterior in circumcisione, quae hoc idem faciebat.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod peccatum quod ex alio contrahitur, conveniens est ut per alium tollatur; et ideo in quolibet statu post peccatum fuit aliquod remedium per quod originale peccatum ex virtute passionis Christi tolleretur. Et iterum quia non poterat puer natus, antequam haberet usum liberi arbitrii, se ad gratiam praeparare, ne omnino sine remedio (2) relinqueretur, oportuit aliquod remedium dari quod ex ipso opere operato peccatum aboleret; et tale remedium fuit circumcisio; et ideo ab omnibus conceditur, quod peccatum auferebat, sicut significabat ablationem; et in hoc cum sacramentis novae legis quodammodo conveniebat, quia efficebat hoc quod figurabat. Operabatur autem circumcisio peccati dimissionem a posteriori. In peccato enim originali tria sunt, scilicet culpa, reatus earentiae visionis divinae (3), et fomes. Prima duo totaliter tolluntur; sed tertium per sacramentum dimittitur; et ideo circumcisio, quae erat particularis abscisio, directe significabat et causabat diminutionem fomitibus, et per consequens auferebat reatum (4) visionis aeternae, et per consequens culpam. In baptismo autem et contrario est: quia prius destruit culpam, cuius ablationem significat ablutio exterior et etiam causat, et per consequens destruit alia.

Ad primum ergo dicendum, quod sacrificia erant instituta ad satisfaciendum pro peccatis actualibus, quae homo ex se perpetravit; et ideo non oportebat quod peccata tollerentur per sacrificia, sicut peccatum originale per circumcisionem.

Ad secundum dicendum, quod circumcisio quavis a peccato originali liberaret, non tamen per eam aliquis perfecte fructum liberationis consequi poterat, quia janua non aperiebat; et secundum hoc Joannes circumcisus, a peccato originali mundari indigebat, scilicet per baptismum.

Ad tertium dicendum, quod per circumcisionem auferebatur impedimentum quod erat ex parte personae, ablato peccato originali, prout erat infectio hujus personae; adhuc tamen manebat impedimentum ex parte naturae, nondum soluto pretio; et ideo per accidens erat quod janua regni caelestis non aperiebat: quia si etiam baptismus, eandem quantum in se est gratiam conferens quam modo confert, eo tempore fuisset, janua non aperisset; et si modo circumcisio locum haberet, janua aperiret.

Ad quartum dicendum, quod circumcisio directe contra originale ordinata fuit, sed ex consequenti etiam actuale tollebat ubi inveniebat. Sed tamen sancti de hoc non loquuntur, quia ad hoc non erat circumcisio principaliter instituta.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio.

Quidam enim dixerunt, quod circumcisio, quantum est de se, culpam tollebat, sed gratiam non conferrebat, inintentes eidem Glossae quae habetur Rom. 4, quae dicit: *In circumcissione peccata remittebantur, sed non gratia per eam praestabatur.* Dicebant enim, quod cum originale nihil aliud sit quam concupiscentia intensa cum earentia debitae justitiae, circumcisio sine hoc quod gratia conferretur, poterat aufere debitum, non auferendo reatum, ut patet per hoc quod si homo illam justitiam non habebat, non ei imputaretur ad poenam. Sed hoc non potest esse: quia manente inordinatione culpae, nullo modo potest non imputari a Deo ad poenam, cum culpae inordinatio per poenam ordinetur. Et ideo oportet, si imputatio ad poenam tollitur, quod inordinatio tollatur; quod sine gratia fieri non potest.

Et ideo alii dicunt, quod circumcisio ex sua virtute culpam tollebat, et gratia circumcisio conferrebat, non ex vi circumcisionis, sed ex divina liberalitate ablato gratiae impedimento. Sed hoc non potest esse: quia quavis ex parte recipientis prius sit expulsio contrarii quam introductio formae, tamen ex parte causae agentis est prius introductio formae: quia non expellitur contrarium nisi introducendo formam; et ideo nisi circumcisio aliquo modo gratiam conferret, nullo modo culpam tollerit.

Et ideo alii dicunt, quod circumcisio conferrebat gratiam quantum ad effectus privativos, qui scilicet sunt auferre culpam, sed non quantum ad effectus positivos. Sed hoc nihil est: quia effectus ultimus gratiae positivus, est facere dignum vita aeterna; quod fiebat per circumcisionem, sicut et modo fit per baptismum.

S. Th. Opera omnia. V. 7.

Et ideo alii dicunt probabilius (1) ut videtur, quod dabat gratiam quantum ad effectus privativos culpae et reatus, et quantum ad quosdam effectus positivos, sicut ordinare (2) animam et facere dignum vita aeterna; non tamen quantum ad omnes quos habet gratia baptismalis; quia illa sufficit ad totaliter concupiscentiam reprimendam, et merito agendum, ad quod gratia in circumcisione data sufficere non valebat; et secundum hoc intelligitur Glossa inducta.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in sacramento altaris est aliquid ex vi sacramenti, aliquid autem ex naturali concomitantia, ut infra dicitur, dist. 10, quaest. 1, art. 2, quaestione 1, ita circumcisio principaliter ordinata erat ad ablationem culpae, sed ex consequenti ad collationem gratiae.

Ad secundum dicendum, quod in baptismo amplior gratia datur, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod gratia circumcisionis non sufficienter reprimebat concupiscentiam, sicut facit gratia novi Testamenti; et ideo ratio non sequitur.

ARTICULUS V.

Utrum circumcisio cessare deberet.

Ad quintum sic proceditur. 1. Videtur quod circumcisio cessare non deberet. Gen. 17, dicitur, quod circumcisio datur in foedus aeternum. Sed aeternum est quod nullo fine clauditur. Ergo circumcisio cessare non debuit.

2. Praeterea, illud quod cum lege non incipit, cum lege cessare non debet. Sed circumcisio ante legem incepit: non enim est ex lege, sed ex patribus, ut dicitur Joan. 7. Ergo cum lege cessare non debuit.

3. Praeterea, figuralia quae significant id quod semper faciendum est, non debet cessare, sicut de purificatione, quae significat devotionem, patet. Sed circumcisio cordis, cuius laus ex Deo est, ut dicitur Rom. 2, semper facienda est; et hanc significant exterior circumcisio. Ergo cessare non debuit.

Sed contra, Gal. 3, 2: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit.*

Praeterea, veniente perfecto frustra imperfectum remaneret ad idem ordinatum. Sed baptismus perfectus facit hoc ad quod circumcisio ordinata erat, quam circumcisio faceret. Ergo veniente baptismo circumcisio cessare debuit.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod nec alia legalia cessare deberent. Christus enim, ut dicitur Matth. 3, non venit legem solvere, sed implere. Sed lex consistebat non tantum in moralibus, sed etiam in sacramentis legalibus. Ergo non venit ea solvere.

2. Praeterea, apud Deum non est transmutatio (Jacob. 1). Sed signum mutationis voluntatis est ut praeceptum quod prius datum est, postea revocetur. Cum ergo Deus haec sacramenta praeceperit, videtur quod cessare non deberant.

(1) Vide 5 p., quaest. 70, art. 4, in corp. ubi hanc sententiam respicit, et atam firmat.

(2) Nicolai legendum forte ornare conjecit; sed exempla omnia, et etiam manuscriptum, ipso salente, habet ordinare.

5. Praeterea, praeceptum non potest revocari nisi per aequalem, vel superiorem. Sed Deus nunquam revocasse legitur praeceptum de sacramentis legalibus in nova lege. Ergo adhuc durant.

Sed contra est quod dicitur Heb. 4, 1: *Umbra habet lex futurorum bonorum*. Sed veniente veritate cessat figura. Ergo veniente Christo legalia cessare debuerunt.

Praeterea, Hebr. 7, 12: *Translato sacerdotio necesse est ut et legis translatio fiat*. Sed in Christo translatum fuit sacerdotium, ut ibidem Apostolus probat. Ergo et legalia cessare debuerunt.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod tempore gratiae poterant sine peccato observari. Omnis enim Christi actio nostra est instructio. Sed Christus tempore gratiae ea observavit, sicut in multis patet. Ergo licetium est tempore gratiae ea servare.

2. Praeterea, tempore Apostolorum etiam observabantur, sicut patet Act. 16, de Paulo, qui circumcidit Timotheum, et de eodem Act. 21, qui purificatus per legem, templum intravit, et hostias obtulit: quod non fecisset ad vitandum scandalum, si peccatum fuisset; quia veritas vitae non est dimittenda propter scandalum. Ergo sine peccato tempore gratiae observari poterant.

3. Praeterea, omnis actus qui non est de se malus, potest sine peccato fieri, et meritoe, si recta intentione fiat. Sed sacrificare et circumcidere non sunt de se mala, alias nunquam licita fuissent. Ergo si bona intentione fiant, erunt meritoria etiam modo, nedom ut sint peccata.

Sed contra est quod dicitur Gal. 3, 2: *Si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit*. Sed omne quod impedit profectum qui provenit ex Christi redemptione, est peccatum. Ergo circumcisio tempore gratiae non poterat fieri sine peccato, et pari ratione nec alia sacramenta.

Praeterea, Gal. 4, super illud: *Quomodo convertimini rursus ad aegena et infirma elementa?* dicit Glossa (1): *Ideo dicit, Denuo, ut ostendat quod non distat modo lex post Christum ab antiqua idolatria*. Sed idolatria nunquam poterat observari sine peccato. Ergo nec legalia post Christum.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius. 1. Videtur quod usque modo teneamur aliqua legalia observare. Tenemur enim ad observanda praecepta novi testamenti, et statuta Ecclesiae. Sed praeceptum Apostolorum in novo Testamento fuit de quibusdam legalibus observandis. Act. 13, 28: *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam ut abstineteis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione*. Ergo adhuc tenemur ad haec legalia servanda.

2. Sed si dicitur, quod fuit permissio Apostolorum pro tempore illo; contra. Glossa ibidem dicit, haec esse necessaria (2). Sed necessaria sunt sine

(1) Interlinealis nimirum, quam etiam indicat Hieronymus (*Ex edit. P. Nicolai*).

(2) *Nicolaus*. Ibidem indicantur necessaria esse; sic enim textus habet: *Nihil oneris quam haec necessaria*. Sed Glossa dicit necessaria esse illa sine quibus non est salus etc. Ad marginem vero: *Quod subiungitur ex Glossa, et eius loco prins textus ut Glossa notabatur ex Rabano sumptum est, et eius nomen in Glossa praefert*.

quibus non est salus, et de quibus non est permissio, sed praeceptum. Ergo adhuc observare tenemur.

3. Si dicitur, quod per Paulum revocatum est, ut eum dicitur 1 Timoth. 4, 4: *Nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; contra. Inferior non potest praeceptum superioris revocare. Sed Paulus fuit inferior quam totum Apostolorum Concilium in Ierusalem congregatum. Ergo non potuit revocare.

Sed contra, Petrus ibidem dicit, Act. 13, quod per gratiam Christi salvamur in lege nova sine onere legis, sicut et patres nostri; unde hoc jugum non est fidelibus imponendum. Sed unus praedictum est observatio caeremoniarum (1). Ergo ad ea servanda non tenemur.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam questionem, quod cum venit quod perfectum est, evacuatur debet quod ex parte est, si ad idem ordinatur: quia gratia non facit per duo quod per unum potest faecere, sicut nec natura. Circumcisio autem imperfecta erat respectu baptismi tripliciter. Primo quantum ad significationem: quia non ita significabat expresse enundationem totius hominis ab immunditia totius culpae originalis, sicut ablutio baptismalis. Secundo quantum ad efficaciam: quia non tam abundans gratia ad operandum et reprimendum fomitem in circumcisioe dabatur sicut in baptismo. Tertio quantum ad utilitatem: quia non erat ejus utilitas ita communis sicut baptismi, cum haberet determinatum populum, determinatum sexum, et determinatum tempus, quod in baptismo non accedit; et ideo adventum tempore plenitudinis debuit cessare, baptismo substituto.

Ad primum ergo dicendum, quod aeternum hie accipitur pro saeculo; quod habet quidem finem, sed non est determinatus nobis. Vel etiam dicendum, quod circumcisio corporalis potuit esse in foedus aeternum quantum ad suum significatum, et quantum ad id quod ei succedit; sicut etiam fides potest dici semper manere ratione visionis, quae ei succedit in patria.

Ad secundum dicendum, quod quamvis cum lege non ineeperit circumcisio, tamen propter legem incepti quasi legis praeparatorum; et ideo cessante lege cessare debuit.

Ad tertium dicendum, quod principalis significatio ad quam circumcisio instituta est, est ablatio originalis culpae, quia sacramentalis significatio refertur ad effectum. Hoc autem non semper faciendum erat per circumcisioem; et ideo non oportebat quod circumcisio semper remaneret. Alia autem significatio est ex consequenti, et secundum illam non oportet accipi iudicium de duratione circumcisiois. Thaurificationis autem significatio nunquam fuit ad significandum aliquid ut effectum ejus; et ideo non est similis ratio.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod triplex erat praecipua ratio cessationis legalium. Una est, quia lex instituta fuit ad significandum gratiam novi Testamenti, quae per Christum facta est; et ideo veniente Christo cessare debuerunt, sicut veniente corpore cessat umbra; et hanc causam tangit Apostolus Heb. 10, 1: *Umbrae habent lex futurorum bonorum*. Alia ratio est ex imperfectione: quia in legalibus gratia non confe-

(1) *Al. caeremoniarum*.

rebat quantum oportebat in novo Testamento dari. Sicut enim virtus naturalis rei naturali proportionatur, ita virtus sacramentalis sacramento; unde oportuit ut alia sacramenta institui, in quibus amplior gratia conferretur; et hanc causam tangit Apostolus Heb. 7, 18: *Reprobatio quidem fit prioris mandati propter infirmitatem et inutilitatem*. Tertia accipitur ex parte eorum quibus lex data est, qui erant parvuli; et ideo erant paulatim a pristina consuetudine idolatriae abstrahendi, ut sic eis concederetur eadem Deo offerre quae prius idolis obtulerunt, vel offerri viderant, sicut Rabbi Moyses dicit. Sed postmodum quando ad perfectam aetatem humanum genus pervenit, debuit ab his observantiis liber esse. Et hanc causam tangit Apostolus Gal. 5 et 4, et Petrus Act. 13, ostendens illa legalia in onus populo rudi imposita esse.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus in hoc legem implevit quod moralibus praeceptis consilia apposuit, et praepcepta magis elucidavit: sed figuris caeremoniarum veritatem apposuit, et ea in seipso suscepit (1).

Ad secundum dicendum, quod non ex mutabilitate praecipientis, sed ex prudenti dispensatione contingit quod diversa praepcepta diversis temporibus accommodata proponit, sicut est in proposito.

Ad tertium dicendum, quod Dominus ipso facto revocavit, adimplens in se quod in figura praepereperat observandum; et ideo in sua passione dixit: *Consummatum est*. Joan. 19, 30.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod haec quaestio videtur habere difficultatem ex quibusdam contrarietibus quae super hoc inveniuntur tam in canonis, quam in dietis sanctorum. Quandoque enim inveniuntur observata legalia tempore gratiae, quandoque autem prohibita; et de hoc etiam Petrus a Paulo redargutus videtur Gal. 2. Et ideo super hoc Hieronymus et Augustinus diversa sententiae videntur. Volebat enim Hieronymus quod legalia statim post passionem Christi quantum ad hos ad quos gratia novi Testamenti manifeste divulgata erat, fuerunt mortifera; sed Apostolos quodam pia dispensatione his usos fuisse ad vitandum scandalum Iudaeorum; et ideo Petrus Iudaizans non peccavit, dispensatorie id faciens, secundum quod etiam dicitur 1 Corinth. 9, 22: *Omnibus omnia factus sum*; et similiter Paulus dispensatorie eum redarguit, ne gentiles exemplo Petri, quorum ipse Apostolus erat, veteris legis sacramenta quasi necessaria quaererent: quia et ipse invenitur eadem pia simulatione servasse; et sic uterque excusatur, et Petrus a culpa, et Paulus a proci reprehensione. Sed quia non videtur conveniens quod Apostoli aliquid contra veritatem doctrinae fecissent ad vitandum scandalum Iudaeorum, nec iterum videtur conveniens quod Paulus in Epistola ad Galatas aliquid simulate diceret, ubi dicit Petrum reprehensibilem fuisse; ideo Augustinus aliter dicit (epist. 19 ad Hieron.), et melius, quod ante Christi passionem legalia fuerunt observanda ex necessitate divinae jussionis, et habuerunt adhuc effectum; sed post Christi passionem ante divulgationem Evangelii observari poterant a Iudaeis ad fidem conversis, non spem in ipsis ponentibus, quasi alieuius virtutis essent, aut quasi sine eis gratia Christi non sufficeret ad salutem,

(1) *Nicolaus* supplet observanda.

sed ne omnino videretur lex vetus reprobanda, si statim quasi idolatria fugeretur; et ideo hoc modo erat mater synagoga deducenda ad tumulum cum honore. Sed post divulgationem Evangelii non solum non sunt salutifera, sed mortifera. Medio ergo tempore Petrus et Paulus et alii Apostoli legalia observabant non simulatorie, sed vere. Petrus tamen incaute se habuit in observatione legalium, nimis condescendens Iudaeis illis qui legalia observanda esse dicebant, ita ut aliquei ejus exemplo inducerentur ad ea observanda quasi necessaria; et ideo vere reprehensibilis erat, et aliquid levem incurrit culpam; et Paulus vere et non dispensative ipsum reprehendit.

Et per hoc patet solutio ad primum et secundum: quia ante Christi passionem, quando Christus ea servavit, non erant mortua nec mortifera, sed salutifera; tempore vero Apostolorum ante divulgationem Evangelii erant quidem mortua, quasi nullius existentia utilitatis, sed non mortifera.

Ad tertium dicendum, quod una circumstantia mutata facit actum bonum in genere, vel malum; et ideo legalia, quae absque consideratione alienius temporis sunt indifferentia, suo tempore facta fuerunt bona, tempore autem non suo observata, sunt facta mala; et ideo bona intentione fieri non possunt bene (1).

Solutio IV. Ad quartam questionem dicendum, quod circa hoc tres sunt opiniones.

Una opinio dicit, quod ad litteram intelligendum est illud praeceptum quod legitur in Actibus, et ejus obligatio usque nume manet. Sed hoc manifeste contrariatur dietis Pauli, qui dixit nihil esse commune, id est immundum, per Christum, nisi ei qui aestimat aliquid esse commune. Rom. 14; et iterum est contra rationem: quia cum hoc praeceptum non sit morale, quia naturalis ratio illud non dicit, oportet quod sit caeremoniale; et ideo ejus obligatio non manet magis quam aliorum.

Et ideo alii dixerunt, quod non est intelligendum ad litteram de sanguine animalis, et suffocato animalis, sed de effusione sanguinis quae fit per homicidium, et de suffocatione pauperum. Sed hoc non potest stare: quia Hieronymus Ezech. 18, post illam expositionem mysticam, expositionem ponit litteralem, quam dicit Apostolos etiam intendisse.

Et ideo alii dicunt, quod epistola Apostolorum non erat praepceptoria quantum ad hoc quod abstinere se ab immolatis, et sanguine, et suffocato (2); sed erat quaedam provisio ad conservandam pacem, et communem vitam Gentilium et Iudaeorum fidelium; et ideo fornicationem prohibuerunt quasi per se malum, quod apud Gentiles non reputabatur pro peccato. Immolatum (3) autem prohibuerunt quasi illud quod posset suspicionem idolatriae adhuc retentae generare de Gentilibus in cordibus Iudaeorum; sanguinem autem suffocatum sicut quod Iudaei abominabantur propter consuetudinem: sicut etiam usque hodie si aliquis socialiter vult alii convivere, oportet quod abstineat ab his quae alter abominatur.

Et per hoc patet responsio ad primum. Ad secundum dicendum, quod dicuntur esse necessaria quantum ad sensum mysticum praeterea-

(1) *Al. non possunt esse*.

(2) *Al. ab idolatris, et sanguine suffocato*.

(3) *Al. idolaticum*.

